

Andreas Daniel Habichhorst

Collegii Disputatorii In Augustanam Confessionem, Disputationibus XXXII. Absolvendi Theses

Rostochii: Richelius, 1695


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74091362X>


Druck Freier  Zugang



RU theol. 2.Oct. 1695

Habichhorst, Andr. Dan./d





COLLEGII DISPUTATORII
IN
AUGUSTANAM
CONFESSIONEM, ²⁶⁶
DISPUTATIONIBUS XXXII. ABSOLVENDI
THESES, ²⁶⁷

De quibus, DEO juvante & R. FCte Theol. consentiente

PRÆSIDE

ANDREA DANIELE
HABICHHORSTIO,

S. Th. D. ejusdemque P. P. & Consiliario Duc.

Mekelb. Consistoriali, ut & FCtis Theol. Collegiique Professo-
rum Ducalium Seniore,

In illustri Univerf. Rostoch. diebus Merc. & Sabb. horis à 1-3. pom.
partibus respondendi crebrius recipiendis, & hoc sine duobus semper Respondenti-
bus adhibendis, factò ad d. 2. Octobr. A. 1695. initio, eo, quem sequens pagina
designat, ordine disputabunt

Vert
GUST. ADOLPH. HUMBLE, Svecus. & HENR. ASCAN. Engelse / Rostoch.
FRANC. NIC. Besser / Bielf. Westph. | JOH. CHRIST. BURGWARD, Güstrov.
GEORG. CHRISKENIUS, Garz. Pom. | CHR. THEOD. Haberborn / Kirch. Lufatg.
HENRICUS FRISIUS, Rostochiensis. | FRID. KARSTIN, Boizenb. Mekelb.
ANDR. WERNEKE, Röbel. Megap. | CHRIST. JUL. Seedorff / Dobber. Mekelb.
JOH. FRID. Eichfeld / Cellis Lüneb. | JOH. GEORG. BERGER, Buxteh. Brem.
DANIEL Müller / Streliz. Mekelb. | LUD. ERN. NIGRINUS, Perleb. March.
CASPAR STROPPE, Neo-Rupp. March. & HERM. CHRISTOPH. Engelse / Rost.

ROSTOCHII,

Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat. Typogr. 1695.



COLLEGIUM
PARTES
RESPONDENDI & OPPONENDI ORDINARIÆ,
Sedecim Collegii Auditoribus Præstantissimis
ita imponendæ, ut, qui in prioribus disputationibus
fuerunt Respondentes,

Iidem in sequentibus fiant Opponentes, adeoque semper, octo abso-
lutis Disputationibus, eadem partes in orbem recurrant, atque ita quater
recipiantur.

CLASSIS I. disputabit

In Dispp. I. IX. XVII. XXV. eruntque
Respp. Assistens G. A. HUMBLE.
Assumens F. N. Better.
Opp. Primarius H. A. Engelse.
Secundarius A. WERNEKE.

CLASS. I. permutatis vicibus,

In Dispp. V. XIII. XXI. XXIX. eruntque
Respp. Assistens H. A. Engelse.
Assumens, A. WERNEKE.
Opp. Primarius G. A. HUMBLE.
Secundarius F. N. Better.

CLASS. II.

In Dispp. II. X. XVIII. XXVI.
Respp. Assist. C. T. Haberkorn.
Assum. F. KARSTIN.
Opp. Prim. G. CHRISKENIUS.
Secund. DAN. Müller.

CLASS. II.

In Dispp. VI. XIV. XXII. XXX.
Respp. Assist. G. CHRISKENIUS.
Assum. D. Müller.
Opp. Prim. C. T. Haberkorn.
Secund. F. KARSTIN.

CLASS. III.

In Dispp. III. XI. XIX. XXVII.
Respp. Assist. J. C. BURGWARD.
Assum. C. J. Seedorff.
Opp. Prim. J. F. Eichfeld.
Secund. L. E. NIGRINUS.

CLASS. III.

In Dispp. VII. XV. XXIII. XXXI.
Respp. Assist. J. F. Eichfeld.
Assum. L. E. NIGRINUS.
Opp. Prim. J. C. BURGWARD.
Secund. L. J. Seedorff.

CLASS. IV.

In Dispp. IV. XII. XX. XXVIII.
Respp. Assist. H. FRISIUS.
Assum. C. STROPPE.
Opp. Prim. J. G. BERGER.
Secund. H. C. Engelse.

CLASS. IV.

In Dispp. VIII. XVI. XXIV. XXXII.
Respp. Assist. J. G. BERGER.
Assum. H. C. Engelse.
Opp. Prim. H. FRISIUS.
Secund. C. STROPE.

Auditis Ordinariis Opponentibus, ceteri quoque Auditores Collegii
extraordinariè invitabuntur.

בְּשֵׁם מְבִיר
 DISP. I. PROOEMIALIS PRIOR
 IN
 AUGUSTANAM CONFESS.
 De NATURA & AUTORITATE EJUS
 Th. I.



Augustana Confessio, in Comitibus Augustanis An. 1530. d. 25. Junii publicè prælecta & Imperatori Carolo V. tradita, acceptata & in Archivum Imperii reposita, symbolum quidem fidei publicum & proprium primariumque nostrarum est Ecclesiarum, nomenque illud omnino meretur; symbolis tamen œcumenicis à nobis non æquiparatur. Contra Calvin.

2. Eadem Aug. Confessio cum Scriptura S. & verè Catholica Ecclesia concordat adeoque ex nomine ejus non potest colligi doctrinæ in illa contentæ novitas. Contra Pontif.

3. Dogmata Aug Conf. sunt quidem *ἰσχυρὰ* ex ipsiq; scripturis *ἰσχυρῶς* deducta; propterea tamen ipsa hæc Confessio non dicenda est *ἰσχυρὸς*. Contra Q.

4. Nihilominus Aug. hæc Confessio non malè à Form. Conc. & quibusdam Theologis per consensum norma vocatur, secundum quam, cum è verbo DEI sit desumpta, omnia alia scripta examinari debent. Contr. nonnullos.

5. Eadem tamen non est adæqvatus omnium fidei articulorum Catalogus, nec adeo hæc solà est nostra religio determinata. C. Pontif.

6. Aug. Confessionis variatio (quæ contigit decennio post exhibitionem) non facta est consilio Luthero, nec annuentibus Imperii Statibus, sed privato Philippi Melancht. ausu, adeoque variata nunquam à Protestantibus acceptata est. C. Calvinian.

7. Non exiguum & verbale, sed ingens & reale discrimen inter primam invariatamq; & inter variatam est, ita ut hæc Augustana Confessionis nomen haut mereatur, multò minùs eodem haberi loco, minimèque præferri exhibitæ possit. C. Calvin.

A

DISP.

DISP. II. PROOEMIALIS POSTERIOR,
CONTINUANS PRIOREM.

1. Prima & invariata Confessio Aug. prout Carolo V. Imp. exhibita, nec Papatui favet nec dogmata ejus fovet. C. Calvinian.
2. Calviniani tam veteres quàm moderni non sunt veri atque genuini Confessionis hujus nostræ Socii. Contr. Calv.
3. Lutherani hodie plures circa Papatum errores notare possunt, quàm qui in Aug. Conf. quoad literam sunt notati, contra Pontif.
4. Lutherani nec olim receperunt nec hodie quoque talia tradunt dogmata, quæ Aug. Confessionem contrariantur. C. Pontif.
5. Nec per Librum Concordiæ, post Augustanam Confessionem superiori seculo publicatum, sublata fuit Aug. Confessio, neque per receptionem libri illius ab hac recessum est. Contr. Calv. & Pontif.
6. Confessio hæc nostra cum Neo-Romanæ Ecclesiæ placito conciliari non potest. C. Grotium & Jesuit. Argentin.
7. Ad Canones & Patres in Aug. Conf. non tanquam ad principium Theologiæ & religionis nostræ provocatur. C. Novaturientes.
8. Quod Imperator Apologiam Augustanæ Confess. acceptare in Comitibus Augustanis noluerit, nihil ipsi Confessionem præjudicat. c. Pontif.

DISP. III. super ARTICUL. I. doctrinalem,
De DEO & ATTRIBUTIS OPERIBUSq; DIVIN.

1. Non fraudulenter Protestantes ab Articulo hoc favorabiliori de DEO exorsi sunt Confessionem. C. Pontif.
2. Dum iidem hic ad decretum Concilii Nicæni provocarunt, non illud pro principio fidei habuerunt. C. Novat. & Pontif. quosd.
3. Unus tantum verus est Deus, idemque essentia spiritualis infinita.
4. Idem est summè simplex, omnis omnino compositionis expertus, solusque æternus & quidem absque omni successione, & omnipotens, &c.
5. Attribute divina revera quidem proprièque in Deo dantur, non tamen sunt accidentia. Eadem neque ab essentia divina neque inter se distinguntur realiter, sed ratione sc. ratiocinaria,
6. Idem unus ille verus Deus solus omnia ex nihilo creavit.

DISP.

DISP. IV. super ARTIC. I. doctrinalem POSTERIOR,
DE S. TRINITATIS MYSTERIO.

1. In una essentia divina plures unâ (Patris sc.) personæ sunt.
2. Christus δ λόγος est filius Dei naturalis, ex ipsa Dei Patris verè proprièqve sic dicti. substantiâ ab æterno genitus, Patri δ μοῦσι Θ , adeoque verus naturâ æternusqve DEUS.
3. Spiritus quoqve S. est Persona divina, à Patre Filioqve realiter distincta, ab utroqve ab æterno procedens & utriqve δ μοῦσι Θ , adeoque verus naturâ æternusqve DEUS.
4. Cum igitur præter DEUM Patrem Filius quoqve & Spiritus S. (non v. plures) sint verus naturâ & æternus Deus, tres certè in una essentia divina personas esse oportet.
5. Mysterium hoc S. Trinitatis ex solis Scripturarum S. oraculis, etiam citra Ecclesiæ vel Concilii Nicæni, hoc articulo laudati, traditionem evidentissimè probatur. c. Pontif. & Grot.
6. Vocabula Υ ποστάσιως & *persona*, propriè hic sumta & à veteri Ecclesia ad fidem significantiùs declarandam & hæreticos, speciatim Sabellianos, eò magis è latibulis protrahendos, in hoc articulo adhibita, rectè retinentur.

DISP. V. in ARTIC. II. DOCTRINALEM,
De PECCATO ORIGIN.

1. Lapsus Adamitici h. e. peccati originalis primi, effectus est peccatum originale ex primo ortum, & hoc verè existit.
2. Medium, quo peccatum hoc orig. propagatur, non est sola imitatio vel exemplum, sed carnalis generatio.
3. Omnes igitur homines post lapsum Adami, secundum naturam propagati, etiam ipsa Virgo Maria, sunt peccati hujus subjectum.
4. Uti formaliter hoc peccatum consistit non tantum in habituali privatione boni connaturalis sc. justitiæ origin. sed in contrarii quoqve habitus sc. profundissimæ corruptionis, positione: ita & Augustani Confessores illud ipsum hoc articulo ejusqve Apologia, non concretivè sed abstractivè & formaliter consideratum, non modò per privationem s. defectum potentiæ timendi Deum &c sed & per positionem contrarii habitus s. contrariæ qualitatis positivæ sc. per concupiscentiam describunt, per quam adeo non materiale peccati hujus,

Aa

sed

sed ipsum ejus formale & quidem alterum, sc. positivum, intelligunt.

5. Concupiscentia hæc prava in baptizatis & renatis residua, non est tantum languor, sed peccatum verè proprièq; dictum.

6. Effectus peccati orig. non tantum sunt peccata actualia, (quæ in infantes quoque cadunt) sed & reatus & damnatio æterna &c.

7. Remedium ejus est regeneratio, quæ fit per Spiritum S. & Baptismum. Liberi tamen Christianorum vel in utero vel subito ante baptismum morientes hic non damnantur. Contr. Q.

8. Voculis: ET ALIOS, in Antithesi (quas in variata Confess. omisit Philippus) intelliguntur etiam Zwingliani.

DISP. VI. sistens

Super ART. III. de CHRISTO REDEMTORE primam
De CHRISTI PERSONA absolutè ratione sui considerata.

1. Ὁ λόγος h. e. Filius Dei assumpsit humanam naturam s. incarnatus est, adeoque; persona Christi ex duabus naturis, divina & humana, constat.

2. Natura v. hum. à λόγῳ assumpta est vera & integra, non ex nihilo creata, neque de coelo delapsa; sed in & ex Maria Virgine concepta & nata, adeoque nobis ὁμοίσιος; propriâ tamen hypostasi destituta, in hypostasi τῦ λόγῳ subsistit, ita ut ipsa quoque subsistentia τῦ λόγῳ fuerit carni communicata.

3. Finis incarnationis juxta A. C. est tum personalis naturarum unio, quæ facta est non tantum indivulsè, indistinctè & inseparabiliter, sed & inconfusè atque inconvertibiliter: tum hominis lapsæ redemptio.

4. Ex unione illa naturarum fuit *idiomatum communicatio* & quidem realis, adeoque humana natura in veram & realem participationem proprietatum divinæ naturæ venit, & filius Dei verè ac realiter sibi proprietates assumptæ carnis appropriavit.

5. Communicatio ἀνχημάτων s. majestatis divinæ, carni facta, ordine tum naturæ tum doctrinæ rectius secundum communicationis genus censetur.

6. Non idem hodie Jesuitæ in hoc Artic. docent, quod Pontificii tempore exhibitionis Augustanæ Confess. docuerunt.

DISP. VII

DISP. VII. exhibens super ART. III. Secundam;
De CHRISTI PERSONA comparatè spectata ratione STATUS
DIVERSI, & quidem de STATU EXINANITIONIS.

1. *Status* Christi duo tantùm sunt: alter *humilitatis* s. *exinanitionis*, alter *Majestatis* s. *exaltationis*.

2. Utriusque subjectum *ut quod* est persona J. C. *ἰσούχου*, *ut quo* est humana natura.

4. *Forma* exinanitionis consistit non in nuda *δεσμός*, neq; in solâ occultatione, neque in plenaria divinæ majestatis abiectione & privatione &c. sed tum *privative* in vera & reali, spontanea tamen & temporaria formæ DEI communicatæ (h. e. status divini gloriosi humanæ naturæ communicati) quoad plenarium atque incessantem Majestatis usum, *κενώσα* s. evacuatione, tum *positive* in formæ servi assumptione & extrema humiliatione.

4. *Actus* s. *gradus* exin. primus est nativitas ejus cum antecedente conceptione; imus v. mors cum antecedente passione ac consequente sepultura.

5. *Passionis* & Mortis, verè proprièque & vicario quidem modo factæ, *subjectum quod* non est solus & nudus homò, non Deus Pater &c. sed Dei filius *ἰσούχου*; ad id verò, quod passus est, dolores quoque infernales spectant. Solutâ v. per mortem unione naturali, personalis salva mansit, adeoque in morte non desit Christus existere, nec desit Dei filius, nec *θεῖον* nec verus homo esse.

DISP. VIII. sistens super ART. III. Tertiam
de STATU EXALTATIONIS CHRISTI.

1. *Exaltationis forma* consistit non in manifestatione gloriæ &c. sed in formæ servilis abdicatione, & in verâ, reali & quidem graduâ ad plenariam, universalem & incessantem formæ Dei s. majestatis communicatæ & possessæ usurpationem evestitione, cujus *consequens* est gloriosa eademque universalis Christi, secundum hum. naturam sic exaltatam, adoratio.

2. *Descensus* ad inferos h. e. in *ᾠ* damnatorum, qui discretè hic propositus, est primus exaltationis actus s. gradus, à morte & sepultura realiter distinctus, adeoque peculiaris fidei articulus, qui in Form. Conc. Art. IX. occasione datâ declaratus est,

A₃

1. Resur-

3. Resurrexit Christus clauso sepulchro, propriam virtute divinam, personaliter sibi communicata.

4. Eadem etiam virtute eodemque corpore, quod exinanitum quodque hodiernum habet, idem ad caelos divinae Majestatis ascendit.

5. Sessio Christi ad dextram Dei Patris (quae distinctus ab ascensione articulus est & distinctè hoc Artic. proponitur) importat divinam infinitae Majestatis dominationem.

DISP. IX. proponens super ART. III. Quartam,
De SACERDOTALI OFFICIO CHRISTI.

1. Officium Christi est triplex, Propheticum, Sacerd. & Regium.

2. Sacerdotale Christi officium (quod A.C. hoc Artic. primum juxta omnes ferè causas designat) consistit *πρωτως* in spontanea verba; sui ipsius, tanquam hostiae. sacrificii verè propitiatorii oblatione, qua ipse verè Deus & verè homo (ceu loquitur hic A.C. adeoque juxta eandem hanc Confessionem) non secundum alterutram saltem, sed secundum utramque naturam Mediator noster & quidem solus, proprièque loquendo Sacerdos, Deo Trinuno (cujus infinita & vindicatrix justitia est laesa) pro omnibus omnium hominum peccatis tam actualibus, quam orig. peccatorumque poenis in judicio divino, post voluntariam interventionem sibi imputatis & impositis, soluto in terris universae obedientiae tam activae quam passivae pretio, non tantum ex acceptance sed & secundum se sufficientissimè satisfecit, eumque sic nobis reconciliavit & aeternam proprieque talem, nempe interventu veri omnino pretii pro nobis soluti factam, redemptionem acquisivit.

3. Idem officium *δευτερος* quoque consistit in verà proprieque dicta intercessione, qua ipse Christus Advocatus noster ap. Deum, vigore satisfactionis jam dictae meritiq. sui, non tantum in terris fuit, sed etiamnum in caelis est.

DISP. X. exhibens super ART. III. Quintam,
De OFFICIO CHRISTI REGIO & PROPHETICO.

1. Officium v. Regium (quod A.C. his indigitat verbis: *perpetuò regnet ac dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum &c. ac defendat &c.* est functio Christi *ἡγεμονίας*, qua is non est DEI Patris in Ecclesia adhuc dominantis vicarius, sed ipse Deus & Rex, quippe qui eadem cum Patre divinam summamque potestatem (quam

te (quam inferis in descensu ad infernum, terrigenis in resurrectione à mortuis, superis in ascensione ad caelos demonstravit) gaudet, eandemq; in omnes omnino creaturas, jam ante mortem & resurrectionem & quamdiu in hismet terris est conversatus, à momento unionis personalis possidet; licet eam non semper, sed tunc demum incessanter, plenarie & universaliter exercuerit, cum ad dextram DEI Patris evectus est, ex quo adeo regnum is potentiae & gratiae & gloriae, secundum utrumque naturam, praesentissime divino planè modo administrat, regimine potentiae & gloriae nunquam finiendo.

2. Officium denique Propheticum (cujus hìc A. C. juxta nonnullos quidem verbis sequentibus meminit: *sanctificet credentes in ipsum, misso in corda ipsorum Spiritu S. &c.* quae tamen nobis ad officium potius Regium & quidem ad regnum gratiae referenda videntur) principaliter consistit in sufficientissima divinae veritatis Evangelicae de nostra salute annunciatione, qua Christus ceu magnus ille Propheta, cum immediatè tum mediatè, homines caelesti doctrina informat, ut in universum omnes ad veritatis agnitionem perducatur; secundariò autem non in nova legislatione nec novarum promissionum e. c. de vita aeterna, promulgatione, sed occasione data in vera legis interpretatione.

DISP: XI. super ARTIC. IV. PRIOR,
DE JUSTIFICATIONE.

1. Justificationis vocabulum hìc non physicam nec moralem, sed forensam s. judicalem habet significationem.

2. Causa justificationis impellens non sunt praeparationes, merita & opera hominum, sed gratia Dei.

3. Gratia v. DEI non notat hìc effectum gratiae s. dona spiritualia s. charitatem à Deo nobis infusam, sed affectum favoris Dei merè gratuitum, cumque universalem quidem, non tamen absolutum, sed ordinatum, nempe in Christi merito fundatum, ab illoque pro merito.

4. Causa enim meritoria eademque impulsiva externa justificationis est unicum & sufficientissimum idemq; universalissimum obedientiae Christi mediatoriae & satisfactoriae, DEO pro peccatis nostris praestitae, meritum.

s. Causa

5. Causa instrumentalis apprehensiva, s. media ex parte nostra, est fides, & quidem sola.

6. Causa formalis non consistit in gratiæ Dei vel justitiæ sive infusione s. inhæsiōne; sed partim privativè in non imputatione iniustitiæ nostræ s. in peccatorum remissione; partim positivè in meritoria Christi justitiæ per fidem apprehensæ imputatione eaque non putatiya & imaginaria sed realissima & vera.

DISP. XII. super ART. IV. POSTERIOR.
De FIDEI JUSTIFICANTIS NATURA & OBJECTO.

1. Fides justificans (organum illud s. medium justificationis ex parte nostra) non tantùm est assensus verbo Dei præbitus, sed & notitia credendorum & quidem explicita, imprimis fiducia specialis, qua credit unusquisque se in gratiam recipi &c.

2. Objectum fidei speciale est promissio Evangelica vel (ut A.C. hic loquitur) receptio in gratiam & peccatorum remissio, quatenus sc. hæc à Christo acquisita est & in verbo & Sacram. offertur.

3. Non tantùm justitia Christi, sed & fides hæc nobis imputatur ad justitiam, non quasi fides in se vel in sua natura, vel ex liberali æstimatione Dei vel acceptatione, aliquam habeat dignitatem, vel ita elevetur à Deo, ut licet ipsa per se imperfecta sit, pro perfecta tamen justitia nobis à Deo imputetur, adeoque non ratione sui, quatenus vel virtus vel actio vel opus est, imputatur vel in justificationem influit; sed ratione objecti vel correlati sui, quod est justitia Christi, quam apprehendit & appropriat credenti.

4. Quæ propter in exemplaribus A.C. quæ legunt: *gratia justificentur propter fidem per Christum*, trajectio verborum est, vitio Typographi vel Amanuensis facta.

5. Antithesis hic non ex dolo vel ex timiditate, sed prudentes non est expressè adjecta.

DISP. XIII. super ARTIC. V.
De MINISTERIO VERBI & SACRAMENTORUM, tanquam FIDEI JUSTIFICÆ MEDIIS.

1. Media, quibus fidem hanc justificantem consequimur, sunt verbum Evangelii & Sacramenta, per quæ Spiritus S. donatur, qui fidem in nobis efficit ac auget, quæ adeo non præparationum & virorum nostrarum opus, sed Dei donum est.

2. Ver:

2. Verbum Evangelii, cum legi opponitur, quoad materiam propriam circa DEI gratiam in Christo versatur & operum doctrina non est.

3. Verbum DEI efficax fidei producendæ medium est, nec influit ad illuminationem hominum minori virtute, quàm ad fidem producendam requiritur, neque ad hunc effectum ultra vim sibi naturalem à causa principali elevatur.

4. Nec verba Articuli hujus (*fidem efficit, ubi & quando visum est DEO*) Verbo & Sacramentis vim & efficaciam detrahunt, quasi illa non semper sint efficacia fidei producendæ media vel organa, sed semper Superioris elevatione indigeant: Contr. Pontif.

5. Nec illa Articuli hujus verba Spiritui S. impotentiam tribuunt, Contr. Eosd.

6. Nec eadem fidem tum quoad oblationem per verbum, tum quoad DEI intentionem ipsamque operationem ab absoluto illo & Calvinistico DEI decreto suspendunt; Contr. Calvin.

7. Sed gratiam DEI commendant, prout ipsa dignitati nostræ omnibusque præparationibus Enthusiasticis opponitur, ceu ex Antithesi apparet.

DISP. XIV. super ART. VI.

De BONIS OPERIBUS.

1. Uti effectus fidei immediatus est justificatio, sic bona opera & obedientia mendatorum DEI sunt ejusdem effectus mediatus, quæ adeo fides, ceu arbor frugifera fructus, parit,

2. Bona ergo opera & obedientia fidem tanquam effectus & signa testificationis atque declarationis sequuntur, tantùm abest ut sint fidei forma vel quasi anima, aut fides sit bonorum operum accidens concomitans.

3. Neque fides opponitur bonis operibus in justificatione per se & simpliciter, sed respectu effectus immediati sc. justificationis, quam sola fide consequimur.

4. Norma bonorum operum directrix est unicè verbum legis divinæ, non Evangelii, neque rectæ rationis dictamen, neque lex naturæ.

5. Bona opera lege DEI præscripta sunt necessaria.

6. Cultus voluntarios, juxta mandatum DEI factos, DELIS probat, non vero electitios.

7. Neque opera irrogenitorum absque fide præstita verè sunt bona nec DEO grata.

B

8. Nec

8. Nec Opera renatorum sunt causa justificationis & vitæ æternæ meritoria.

9. Non enim sunt absolutè bona, sed valde imperfecta maximeq; debita.
DISP. XV. super ARTIC. VII.

De ECCLESIA quoad ESSENTIAM.

1. Ecclesia in his terris militans una est nempe Catholica h.e. Universalis.

2. Nomen Ecclesiæ Catholicæ de jure non competit cœtui papali, quippe qui nihil minùs quàm Catholicus.

3. Ecclesia strictè, propriè & principaliter s. quoad essentiam est congregatio Sanctorum verèq; credentium; non verò tantùm electorum.

4. Fundamentum & caput Ecclesiæ, in quo ipsa est una, solus est Christus, adeo quidem ut nec Papa Romanus nec ullus alius in terris sit ejus vicarius, qui Ecclesiæ universalis sit caput visibile & privilegio infallibilitatis gaudeat.

5. Unitatis Ecclesiæ formalis ratio est consensus de doctrina Evangelii fundamentali & administratione Sacramentorum.

6. Ad hanc ergo unitatem non necesse est, ut ubiq; similes sint ritus & ceremoniæ.

7. Notæ Ecclesiæ (particularis, visibilis & purioris) principales & essentielles sunt pura verbi prædicatio & legitima Sacramentorum administratio.

8. Ecclesia quidem est visibilis, non tamen absolutè, siquidem alio respectu etiam invisibilis est.

DISP. XVI. super eundem ART. VII. ut & seq. ART. VIII.

De ECCLESIA quoad *existentiam* s. statum famosiorem vel de MALIS & HYPOCRITIS in Ecclesia.

1. Ecclesia quidem universalis & invisibilis perpetuò secundum se duratura & inerrabilis est hypotheticè, adeoque nec erravit nec errat in fundamento fidei; particulares tamen & visibilis quævis, etiamsi vel ab ipso fuerit Petro plantata, in fundamentalibus etiam potest errare, imò deficere non tantùm temporaliter sed & finaliter; cum nulla harum indefectibilitatis privilegium acceperit.

2. Etiam Concilia (Ecclesia repræsentativa) errare possunt ac errarunt.

3. Ecclesia Romana Pontificia à fide defecit, ita ut non vera & pura amplius sit Ecclesia, sed novus & hæreticus omnino cœtus.

4. Eccle

4. Ecclesia verò Lutherana, in qua purè Prophetarum & Apostolorum doctrina prædicatur & legitime juxta Scripturam Sacramenta administrantur, non est nova nec hæretica.

5. Ecclesiæ latius sumptæ & visibilis (vel quoad existentiam & famosorem statum considerata, qualis de facto est) materia sunt homines boni & mali, sancti & hypocritæ.

6. Impuritas vitæ & hypocrisis ministrorum Ecclesiæ non obstat, quo minus Sacramentis uti liceat, quæ per malos administrantur.

DISP. XVII. super ARTIC. IX.

De BAPTISMO.

1. Baptismus non est ceremonia indifferens neque temporaria, sed actio divinitus mandata, & perpetuum N. T. Sacramentum, adeoque usus ejus est necessarius ad salutem, quamvis non absolute.

2. Objectum baptismi sunt quoque infantes, quorum certè baptismus, (si vel maxime diserta ejus exempla non extarent) ex scripturis necessarius utilisque colligitur.

3. Materiam baptismi non tantum terrestrem seu visibilem sc. aquam, sed & caelestem seu invisibilem dari, eamque S. Trinitatem & speciali ratione Spiritum S. esse, certum est.

4. Finis & effectus Baptismi respectu omnium baptizatorum est gratiæ divinæ & salutis collatio, quæ omnibus serio à DEO intenditur; respectu adultorum, fidei gratiæque confirmatio: respectu infantum, regeneratio seu fidei collatio & in gratiam receptio, adeoque infantes baptizati actu credunt & baptismus non est tantum externa professionis nota.

5. Non tamen per baptismum in hac vita peccatum totaliter excerpatur.

DISP. XVIII. super ARTIC. X.

De S. COENA.

1. Norma Eucharistiæ est verbum institutionis, à cujus ~~partes~~ non est recedendum.

2. Non tantum panis & vinum, sed & corpus ac sanguis Christi sunt materia S. Cœnæ, adeoque corpus & sanguis Christi verè & substantialiter in S. Cœna adsunt & ore corporis cum pane & vino eucharistico accipiuntur.

3. Variata Philippi Confessio, dum inter alia in gratiam Zwinglianorum

norum hoc articulo in locum verborum: *quod corpus & sanguis Christi verè adsint*, substituit seqq. *quod cum pano & vino verè exhibeantur corpus & sanguis Christi viscentibus in S. Coena*, simulque antithesin (*& improbant secus docentes*) omittit, nomine Confessionis Augustanae indigna est.

DISP. XIX. super eundem ART. X. & seq. XI.

De S. COENA & CONFessione.

1. Panis quidem & vinum in S. Coena cum corpore & sanguine Christi verè & realiter uniantur; non tamen in corpus & sanguinem ejus per consecrationem convertuntur vel transsubstantiantur.
2. Phrasis hæc: *unter der Gestalt Brodts und Weins/* quæ in Germanico A. C. exemplari hoc Artic. legitur, in latino autem omissa est, minimè patrocinator transsubstantiationi Papisticae, prout quidem Papistæ & Calviniani censent.
3. Eucharistia omnibus Christianis instituta est, qui probare se possunt, adeoque infantibus ea non est porrigenda.
4. Indigni tamen etiam cælestem materiam in S. Coena participant.
5. Privata quidem peccatorum Confessio coram Ecclesiae Ministro & absolutio ante usum S. Coenæ rectè instituta & ritus Anti-Christianus non est, adeoque rectè in Ecclesiis nostris retinetur;
6. Non tamen divino jure necessaria est, nec specialis omnium peccatorum enumeratio cum omnibus circumstantiis aggravantibus in illa confessione est exigenda, cum necessaria haut sit nec possibilis.
7. Abusus quoque Confessionis & supina absolutio valde improbanda est.

DISP. XX. super ARTIC. XII.

De POENITENTIA.

1. Semel renati & justificati possunt labi & Spiritum S. gratiamque DEI per peccata amittere.
2. Lapsis post Baptismum & conversionem reditus ad remissionem peccatorum per poenitentiam semper in hac vita patet.
3. Poenitentiae materia ex qua sunt contritio & fides, adeoque duæ tantum ejus sunt partes.
4. Contritio non est meritoria nec justificationis causa.
5. Fides nobilissima est pars poenitentiae adeoque non excludenda.
6. Materia poenitentiae circa quam & quidem ex parte contritionis sunt

sunt peccata & quidem omnia; ex parte fidei meritum Christi universa-
lissimum ad omnes omnino homines spectans.

DISP. XXI. super eundem & seq. ART. XIII.

De POENIT. & SACRAMENTORUM USU.

1. Nemini in hac vita perfectio tanta contingit, ut peccare non possit, adeoque poenitentia omnibus viatoribus necessaria est.
2. Confessio quidem peccatorum seria comes est contritionis cum fide temperata, non tamen poenitentiae pars.
3. Neque Satisfactio pars ejus censeatur, quae confessis frustra imponitur.
4. Obedientia nova s. bona opera sunt fructus poenitentiae s. fidei, quae pars poenitentiae; non autem veris & essentialibus poenitentiae partibus annumeranda.
5. Sacramenta (quae curate loquendo in N. T. binarium non excedunt numerum) non tantum sunt notae professionis inter homines, sed & signa gratiae; non vero nuda, sed exhibitiva s. media efficacia s. sigilla quae non tantum gratiam conferunt, sed & obsignant in his, qui iis utuntur.
6. Non tamen conferunt gratiam neque justificant ex opere operato i. e. vi actionis; sed utentium fides accedat necesse est, quae usum Sacramenti reddit salutarem.

DISP. XXII. super ART. XIV. & XV.

De ORDINE ECCLESIASTICO & RITIBUS.

1. Datur certum in Ecclesia ministerium, cujus causa minus principalis non tantum status est Ecclesiasticus neque status tantum politicus, sed tota potius Ecclesia.
2. Subjectum Ministerii Ecclesiastici sunt idoneae & habiles personae, legitime & rite ad Ministerium ab Ecclesia vocatae.
3. B. Lutherus noster non absque legitima vocatione contra doctrinam & idololatriam Pontificiam publice docendo, scribendo & disputando reformationis opus suscepit.
4. Neque Ecclesiarum nostrarum Ministri vera & legitima vocatione destituuntur, adeoque in Ecclesiis nostris est verus ordo Ecclesiasticus.
5. Ordines vero clericales, septenario praecise definiti, fundamento scripturae destituuntur.
6. Ritus & ceremonia, quibus N. T. Ecclesia ex libertate Christiana utitur, non sunt pars cultus divini ad salutem necessarii.

7. Neque ritus ac ceremoniæ, quibus nostræ utuntur Ecclesiæ, quæq; ad bonum ordinem & ædificationem faciunt, e. c. festi dies, sunt tessera Anti-Christi, adeoque non abrogandæ.

8. Ritus verò & traditiones Papisticæ, quibus DEUM placare gratiamque promereri gestiunt, non sunt tolerandæ.

DISP. XXIII. super ART. XVI.

De REBUS CIVILIBUS.

1. Magistratus politicus est ordinatio divina statusq; DEO placens & in Ecclesia necessarius, quo Christianus salvâ pietate & conscientia fungi potest.

2. Civilibus & Imperatoriis legibus; quatenus juri naturæ & Decalogo sunt conformes, Rempubl. Christianam gubernare licet.

3. Magistratui Christiano integrum est judicia exercere & Christianus coram judicio contra proximum agere potest.

4. Eidem Magistratui competit potestas poenas capitales de facinorosis sumendi & bellum gerendi justum.

5. Subditis quoque Christianis in bello tali militare licet.

6. Non simpliciter & omni in casu Magistratui obediendum est.

7. Abdicatio rerum civilium e. c. Magistratus, conjugii &c. maximam perfectionem non conciliat.

8. Papa Rom. cum suis, præcipuè Jesuitis, contemtor & persecutor Magistratus rectè perhibetur.

9. Per Lutheranorum verò doctrinam verbo divino conformem Magistratus civilis multum ornamenti atque autoritatis accepit.

DISP. XXIV. super ART. XVII.

De NOVISSIMIS PRIMA.

De MORTE CORPORIS & IMMORTALITATE ANIMÆ.

1. Corpus hominis mortui non prorsus in nihilum redigitur.

2. Nec Animæ hominum à corporibus solutæ pereunt, sed verè proprièque immortales sunt.

3. Non verò animæ piorum tempore inter mortem hominis & resurrectionem mortuorum intermedio dormiunt aut saltem in tranquillo quodam vel lato sunt statu, sed statim ad visionem DEI beatificam admittuntur & perfecta essentiali beatitudine fruuntur, sicut impiorum animæ statim in inferno cruciatibus subjiciuntur.

4. Neq;

4. Neque enim fuerunt neque sunt nisi duo animarum à corporibus suis separatarum receptacula, alterum beatitudinis in coelo, alterum condemnationis in inferno: adeoque purgatorium & limbus infantum limbusque Patrum non sunt fidei articuli, sed figmenta.

DISP. XXV. super eundem ARTIC. XVII.

De NOVISSIMIS SECUNDA,
De RESURRECTIONE MORT. ET JUDICIO
EXTREMO.

1. Resurrectio mortuorum universalis in consummatione mundi certò est futura.

2. Impii quoque sunt resurrecturi quidem, sed ipsorum resurrectio non merito Christi, sed decreto potius justitiæque divinæ est adscribenda.

3. Corpora hominum numero & substantiâ eadem, quæ ceciderunt, sunt resurrectura adeoque novis quidem & spiritualibus vestita qualitatibus prodibunt, non verò spiritus erunt.

4. Ante hanc universalem omnium hominum resurrectionem non futura est particularis quædam resurrectio piorum, qui mille annos ante novissimum diem regnum mundi sint occupaturi & vitam omnibus tantis spiritualibus quam corporalibus deliciis affluentem victuri.

5. Judicium quoque extremum certò est futurum, in quo Christus juxta humanam quoque naturam judicaturus est mundum.

6. Judicandi verò sunt omnes in universum homines, speciatim impii & Angeli, qui defecerunt.

7. Pii & electi discussionis judicium in novissimo die subituri non sunt, neque peccata ipsorum tunc coram universitate hominum manifestabuntur.

DISP. XXVI. super eundem ART. XVII. TERTIA

De VITA ÆTERNA, INFERNO & CONSUMMATIONE MUNDI.

1. Vitam æternam DEUS non ex decreto quodam absoluto vel citra fidei finalis intuitum piis atque electis dabit.

2. Pii & electi in Vita æterna pro passionum operumque bonorum diversitate gradus gloriæ, uti impii & reprobati in inferno diversi poenarum gradus dabuntur.

3. Impii & damnati post sententiam non in nihilum redigentur.

4. *Idem*

4. Idem & Diaboli æternis cruciatibus, siue omni spe emergendi vel ad gratiam revertendi, in inferno affligentur.

5. Consummatio s. conflagratio & interitus mundi certò futurus est.

6. Consummatio verò illa non comitabitur nec antecedit iudicium extremum & resurrectionem mortuorum sed sequetur eam, adeoque verba Articuli hujus, quibus dicitur *Christus in consummatione mundi ad iudicium appariturus*, latius erunt accipienda pro ultimo mundi statu.

7. Consummatio mundi per ipsius substantiæ abolitionem futura est.

DISP. XXVII. super ARTIC. XVIII. & XIX.

De LIBERO ARBITR. & CAUSA PECCATI.

1. Articuli quatuor, qui sequuntur, sunt Apologetici in sensu non exclusivo nec adæquato, sed inclusivo & inadæquato, neque in sensu tantum generali, verum etiam speciali.

2. Quamvis homo non renatus adhuc post lapsum circa objectum naturale, œconomicum & civile, nec non circa actiones sacras externas s. pedagogicas liberum habeat arbitrium, utut & hoc languidum fuerit; in ordine tamen ad merè spiritualia & supernaturalia illud servum est.

3. Adeoque homo non potest viribus suis naturalibus post lapsum relictis ad actiones merè spirituales, speciatim ad sui conversionem quicquam conferre.

4. Phil. Melancthon in Conf. variatà, phrasi hac proprio ausu Articulo præsentis insertà: efficitur spiritualis iustitia in nobis, cum adjuvamus à Spiritu S. & similibus, semina Synergismi sparfit, Artic. 2. Form. Conc. notati & rejecti.

5. DEUS nullo modo neque per accidens neque improprie & indirectè peccati causa vel autor dici potest nec debet, sed causa ejus voluntas malorum & Diaboli est.

DISP. XXVIII. super ART. XX. & XXI.

De FIDE & BON. OPER. ut & CULTU SANCTORUM.

1. Non per *ἁγιογραφία* Articulus XX. in A. C. propositus est.

2. Nostrates non dextraxerunt, nec etiamnum doctrinæ de Bonis operibus detrahunt, nec adeo opericidæ sunt.

3. Cultus electitii non sunt bona opera DEO placentia.

4. Neque

4. Neque opera à DEO mandata, multò minùs electitia DEUM placare vel remissionem peccatorum vitamque aeternam mereri possunt, sed hoc tantùm fide in Christum consequimur.

5. Fides verò non est historica modò notitia, neque tantùm assensus, sed & fiducia, quæ merito Christi innixa remissionem peccatorum credit.

6. Fides hæc bona parit opera, quæ necessariò sunt facienda, non ut per illa justificemur & salvemur, sed propter voluntatem DEI &c.

7. Sanctorum in cælis triumphantium honorificè quidem meminisse debemus; invocare verò illos (uti & S. Angelos) aut patrocinium vel mediationem vel intercessionem apud DEUM & Christum ab his petere non licet.

8. Sanctos enim in coelis nosse, quid hic in terris quotidiè agatur, vero simile non est: multò minùs probari potest, illos speciali intercessione rebus mortalium patrocinari.

DISP. XXIX. super ART. I. ABUSUUM.

De COMMUNIONE SUB UNA.

1. Formam Eucharistiæ mutant, adeoque ipsum Sacramentum mutilant & nefandum committunt sacrilegium, qui persuasione concomitantia, sub uno panis Symbolo, Eucharistiam dispensant, adeoque Laicis & Clericis non conficientibus calicem subtrahunt.

2. Cum divisio illa Sacramenti cum institutione non conveniat, nec transubstantiationi locus sit, meritò repositionem hostiæ consecratæ ejusq; circumgeffationem in festo corporis Christi aliisque feriis & *ἡ ἑορτή* improbamus.

DISP. XXX. super ART. II. ABUS.

De COELIBATU CLERICORUM.

1. Cælibatus non est ordinibus sacris jure divino annexus.

2. Neque in primitivâ Ecclesiâ Ministri ejus omnes fuerunt cælibes.

3. Adeoque Sacerdotibus & Clericis uxorem ducere licet.

DISP. XXXI. super ART. III. & IV. ABUSUUM.

De MISSÆ SACRIFICIO & CONFESS. AURICULARI.

1. In S. cenâ non est sacrificium formaliter propitiatorium.

2. Neque in eadem pro vivis & mortuis, pro quotidianis delictis & pro quibusvis necessitatibus corpus Christi DEO Patri offerendum est.

3. Missas solitarias, quibus S. Cenâ turpiter profanatur & ad quaestum confertur, repudiamus.

C

4. Nec

4. Nec morem illum, quo consecratio Eucharistiæ peregrinâ lingua submissâque voce peragitur, probamus.

5. Confessionem quoque illam auricularem, qua conscientiæ hominum curâ enumerandi omnia omnino peccata onerantur, & qua sine confessio imperfecta, & confessus remissionis peccatorum incapax perhibetur, reprobamus.

DISP. XXXII. super ART. V. VI. & VII.

De DISCRIMINE CIBORUM, VOTIS MONACHORUM & POTESTATE ECCLESIASTICA.

1. Non ipsa damnamus jejunia, sed traditiones, quæ certos cibos e. c. pisces, certis diebus, nempe Veneris & Sabbathi, ut & tempore quadragesimali præscribunt, aliisque cibis e. c. carne, iisdem diebus cum periculo conscientia, & quasi discriminis hujus observatio sit necessaria & gratiam DEI promeretur, interdicunt.

2. Monastice, qualis in Papatu viget, inventum planè est humanum, nec conjugio præferenda.

3. Vita & vota Monastica multis modis improbantur, tantum abest ut remissionem peccatorum vel amplius aliquid mereantur.


4. A. C. non detrahit Art. 7. Episcopis potestatem, quæ jure divino ipsis competit, nec constringit eam nimis: non enim tantum potestatem ordinis, sc. prædicandi Ev. & porrigendi Sacram. sed & jurisdictionis, quæ in scripturis iisdem commendatur, sc. remittendi & retinendi peccata, ipsis concedit. Nec jurisdictionem in cognoscendis certis causis, quam jure humano habent, impugnat; Potestatem verò, qua Pontifex Rom. & Episcopi violentis excommunicationibus in alienum irrumpunt officium, novos cultus contra Evangelium instituunt, Principesque regno aliisque axiomatibus suis privant & privari à se posse, fingunt &c. inter abusus Papisticos meritò refert.


5. Episcopi nomen non merentur, qui non utramque potestatem ordinis & jurisdictionis habent neque exercent.

6. Eadem quidem potestate jure divino gaudent Episcopi & Presbyteri; quoad curam tamen & inspectionem, circa exercitium potestatis utriusque, Episcopo præ ceteris aliquid competere non dubitatur.

7. Potestas Ecclesiastica differt à politica formaliter & essentialiter, atque non sunt confundendæ, licet quandoque extra ordinem uno in subjecto, salvâ utriusque naturâ disparata, stare possint.









4. Neque enim fuerunt neque sunt nisi duo animabus suis separatarum receptacula, alterum beatitudinis condemnationis in inferno: adeoque purgatorium & limbusque Patrum non sunt fidei articuli, sed figmenta.

DISP. XXV. super eundem ARTIC. X
De NOVISSIMIS SECUND
De RESURRECTIONE MORT. ET
EXTREMO.

1. Resurrectio mortuorum universalis in consuetudine certò est futura.

2. Impii quoque sunt resurrecturi quidem, sed ipse non merito Christi, sed decreto potius iustitiæque divinæ

3. Corpora hominum numero & substantiâ eadem sunt resurrectura adeoque novis quidem & spiritualibus prodibunt, non verò spiritus erunt.

4. Ante hanc universalem omnium hominum resurrectio futura est particularis quædam resurrectio piorum, qui novissimum diem regnum mundi sint occupaturi & vi spiritualibus quàm corporalibus deliciis affluentem vic

5. Judicium quoque extremum certò est futurum juxta humanam quoque naturam judicaturus est mund

6. Judicandi verò sunt omnes in universum homines pii & Angeli, qui defecerunt.

7. Pii & electi discussionis iudicium in novissimis sunt, neque peccata ipsorum tunc coram universitate festabuntur.

DISP. XXVI. super eundem ART. XVII. T
De VITA ÆTERNA, INFERNO &
MATIONE MUNDI.

1. Vitam æternam DEUS non ex decreto quodam fidei finalis intuitum piis atque electis dabit.

2. Piis & electis in Vita æterna pro passionum operum diversitate gradus gloriæ, uti impiis & reprobatis in infernum gradus dabuntur.

3. Impii & damnati post sententiam non in nihilu

